

et fors omne datum traherent per talia tempus,  
 sed comes admonuit breviterque adtata Sibylla est:  
 'nox ruit Aenea; nos flendo ducimus horas.  
 hic locus est, partis ubi se via findit in ambas: 540  
 dextera quae Ditis magni sub moenia tendit,  
 hac iter Elysium nobis; at laeva malorum  
 exercet poenas et ad inopia Tartara mittit.'  
 Deiphobus contra 'ne saevi, magna sacerdos:  
 discedam, explebo numerum reddarque tenebris. 545  
 i decus, i nostrum: melioribus utere fatis.'  
 tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.

Respicit Aeneas: subito et sub rupe sinistra  
 moenia lata videt, triplici circumdata muro,  
 quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis, 550  
 Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.  
 porta adversa ingens, solidoque adamante columnae,  
 vis ut nulla virum, non ipsi excindere bello  
 caelicolae valeant; stat ferrea turris ad auras,  
 Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta, 555  
 vestibulum exsomnia servat noctesque diesque.  
 hinc exaudiri gemitus et saeva sonare  
 verbera, tum stridor ferri tractaeque catenae:  
 constitit Aeneas strepituque exterritus haesit.  
 'quae scelerum facies, o virgo effare, quibusve 560  
 urgentur poenis, quis tantus plangor ad auras?'  
 tum vates sic orsa loqui: 'dux inclute Teucrum,  
 nulli fas casto sceleratum insistere limen;  
 sed me cum lucis Hecate praefecit Avernis,  
 ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit. 565  
 Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna  
 castigatque auditque dolos subigitque fateri,  
 quae quis apud superos, furto laetatus inani,  
 distulit in seram commissa piacula mortem.  
 continuo sontis ultrix accincta flagello 570  
 Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra  
 intentans anguis, vocat agmina saeva sororum.  
 tum demum horrissono stridentes cardine sacrae